

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput 42 [XLII.]

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

Job 7.0 ¹⁶ torrentem consolationis. Reposita est haec spes
mea in Sinu meo.

Caput 47^{um}
Aspirationes ad Deum tan-
quam lucem increatam.

1 O Deus altissime, tu es vera lux, et tenebrae in
te non sunt ulla, tu es illa lux, quae illuminas
omnem hominem venientem in hunc mundum,
quae illucescis mentibus hominum, et ostendis
eis viam bonam, per quam ambulant, ut ad hui
cognitionem veniant, te unice requirant, et te im-
pense diligant. O lux gratissima sine te nihil
est in homine, nisi mera tenebrae coecitates et igno-
rantia. O lux fulgida et gratiosa illucesce michi,
ut in meridiem clarissimam vertantur tenebrae
cordis mei. O lux amabilis, quae non tantum
illuminas, sed etiam accendis, illumina me,
accende me, inflama me ignea charitate, ut
anima mea tota resolvatur, tota liquefiat, tota
in te transeat. O lux beatissima, tu es ma-
gistra veritatis, lumen cordis, solamen animi,
fugatrix ariditatis mentis, nutrix devotionis, pro-
ductrix lacrymarum. Ah veni, et descende in me,
dissipa tenebras cordis mei, ne pra coecitate et ari-
ditate mentis torpescat, et deficiat anima mea. O
serena lux Deus meus, cor meum suis irradiationibus,
Iunge me tibi vicinius, o sol ru-
bilantissime, ut ad calorem virtutis tuae, fractus
sanctae dilectionis progerminet terra cordis mei.

290

O beati, qui ita sunt mundo-corde, ut te videre,
teq; frui mereantur.

Luce hac corporea mi amantissime Deus nihil
mundius, nihil pulchrius, nihil subtilius, nihil com=
munius, nihil celerius, nihil efficacius invenitur. Hac
omnia o creator meus, habes lucis propria; es namq;
mundissimus, quippe ab omni labe mundissimus, di=
cerisq; ^{canon} aeterna lucis; Speculum lucidissimum sine ma=
cula; Es pulcherrimus, adeo ut omnis pulchritudo reru
creatarum tua comparata potius deformitas censeri
debeat. Es subtilissimus, quia purissimus es spiritus,
ac simplicissima substantia. Es communissimus, quia
eris super bonos et malos, et non est qui te abscondat
a calore tuo. Es velocissimus, quia sine mora succarris
omnibus invocantibus te. Es efficacissimus quia po=
tenter eripis ab omni malo, et non est, qui resistere possit
virtuti tuae. O mi Deus! quanto ergo felicius, quanto
delectabilius est, te inaccessibleem lucem possidere, qua
visibilis huius solis frui claritate; hac enim tibi
comparata, o lux fulgidissima, caligo est, et tenebra;
unde et discipulus tuus ait: civitatem supernam non
egere sole, propterea, quod splendidissima, serenissi=
ma, ac iucundissima claritate tua illustretur, et tibi
una ac perpetua sit dies, cui nulla nox succedit.
Utinam mi Deus dies illa semper laeta, semper se=
rena mihi aliquando illucescat. Utinam sicut il=
luminas montes aeternos, id est angelos, etiam radio
luminis gloriae aliquando resplendas in animam
meam, ut facie ad faciem te videre, teq; in aeter=
num frui merear.

O Deus meus illuminatio mea, talis est lux tua,
ut revelet omnia etiam abscondita, id est, occulta 1 cor. 4.

9 quinquagesima

cogitationum et intentionum cordis nostri; ea enim scrutatur renes et corda, adeo ut quicquid in eis latet, tibi multo magis manifesta sint, quam si in luce meridiana posita essent; Unde in novissimo die haec omnia abscondita revelabis, quando scilicet illuminabis abscondita tenebrarum, et manifestabis consilia cordium, et tunc laus erit unicuique iuxta merita sua. O anima mea quare loquar cum, quare noctem, quare tenebras, quae ab ista subtilissima luce non illuminentur, et tunc forsitan impune peccare poteris; Sed profecto nihil tale invenies, quia tenebrae in Deo non sunt ullae, et sicut substantia divina tota est immensitas implens universam, et ipsa tota est lux comprehendens omnia, penetrans usque ad intima. O Domine Deus, o lux splendidissima, revela oculos meos, ut in tenebris aut umbrae mortis haud amplius sedeam, sed potius ut filius lucis in lumine vitae semper ambulem, et fructum lucis, qui est in omni bonitate, et iustitia et veritate seram, tibi quoque fideliter serviam, ac te ardentem diligam.

ps. 118

Eph. 5.

Caput 43^{um}
Aspirationes ad Deum tanquam Patrem.

1. Quantus sum ego vilis terrae vermiculus, ut ad Dominum immensa maiestatis dicere audeam: Pater. O verbum dulce! O verbum consolationis! O verbum magni amoris! Pater! Pater inquam, per creationem; nam ipse est pater tuus, qui fecit et creavit te. Pater per redemptionem; tu enim Pater noster, et redemptor noster, inquit Isaias; Joan. 3. Pater per regenerationem baptismi, quo fit, ut filii Dei nominemur, et simus.

Deut. 32

Isai. 63.

Joan. 3.